



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio I. De reatu pœna provt est effectus peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

auxiliorum Dei: corruptio autem naturæ quam causavit peccatum originale dicitur sequenti disputatione, superest ergo nunc ut primum dicatur de reatu pœnæ, deinde de macula peccati personalis, ac demum de macula peccati originalis.

QVÆSTIO I.

De reatu pœnæ prout est effectus peccati.

S. Thom. quæst. 87.

Quenam
pœna sit
effectus
peccati.

Omnis pœna si iusta est, pœna peccati est, inquit Augustinus, lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. est enim malum quod infligitur propter culpam: sed pœna tamen quæ bonum quoddam est, dici non potest effectus peccati quod est summè malum, solus enim reatus pœnæ peccati effectus est, quia malum est esse dignum pœnæ. Hunc igitur reatum primò generatim considero prout effectus est cuiuslibet peccati, Secundò prout est effectus peccati mortalis. Tertio prout est reatus peccati venialis.

SECTIO I.

De Reatu pœnæ debitæ peccato generatim.

S. Thom. art. 1. 2. 6. 7. & 8.

Omne pec-
catum fe-
quitur rea-
tus pœnæ.

Certum est primò, nullum omnino esse peccatum cuius proprius, & necessarius effectus non sit reatus aliquis pœnæ, tum in hac, tum in altera vita. Ratio S. Thomæ articulo primo est optima, quia in omnibus rebus tum naturalibus tum humanis videmus semper euenire, ut id quod contra aliud insurgit, detrimentum ab eo patiatur, nam in rebus naturalibus vnum contrarium agit vehementius insurgente altero contrario, nunquam enim ignis agit fortius quàm à frigore prouocatus: in rebus etiam humanis, unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit, ac demum in Politicis quidquid contra ordinem aliquem insurgit consequens est ut ab ordine illo, & à principe ordinis deprimatur, quæ depressio pœna est. Ille autem à quo committitur peccatum contra triplicem ordinem peccat, propriæ rationis, exterioris hominis gubernantis, & diuini regiminis, vnde triplici dignus est pœnâ, à se ipso habet remorsum propriæ conscientie: Si autem male egeris, inquit Deus ad Cain, statim in foribus peccatum aderit, alij legunt latrabit, ab hominibus habet infamiam, vituperia, & sæpius supplicia, denique à Deo punitur tum hac vita, tum altera. Vnde ab Isaia c. 14. optimè peccatum comparatur Ericio: *Ponam eam in possessionem Ericij*, peccatum videlicet Ericius est in corde peccatoris à quo omni ex parte pungitur miser ex parte Dei, ex parte sui, & ex parte omnium hominum. *Tribulatio videlicet & angustia in omnem animam operantis malum.* Ut habetur Romanorum secundo: probant hoc omnes historiæ Scripturarum, casus Angelorum, primi hominis exterminium, Caini tremor & fuga, diluuium, Sodoma, Pharaon, ex quibus omnibus, & aliis innumeris constat, quod qui malignantur exterminabuntur.

Definitio
reatus pœ-
næ.

Certum est secundò, reatum pœnæ rectè definiti, est dignitas pœnæ propter culpam commissam, dignitas verò illa nihil est aliud quàm peccatum præteritum moraliter manens propter negationem retractationis aut condonationis quæ versatur circa pœnam. Ratio est quia reus pœnæ ille non dicitur qui obligatus est ad ferendam pœnam, nam Christus obligationem ferendi peccata nostra super lignum neque tamen reatum habuit, quia dignus non fuit pœnâ ob culpam propriam, reatus ergo non est obligatio dunta-

tax, sed dignitas pœnæ propter culpam. Quid autem sit dignitas illa pœnæ, an sit aliquid reale, an physicum, an morale constabit ex dicendis de peccato habituali.

Difficultas igitur tota nunc est primò, vtrum integer reatus pœnæ semper remittatur dimisso reatu culpæ. Secundò, vtrum pro alterius peccato possit aliquis esse reus pœnæ. Tertio, vtrum sine peccato aliqua possit inferri pœna.

Ratio dubitandi est primò, quia si remissa culpa manet adhuc reatus aliquis pœnæ, sequitur quod remittitur, & non remittitur culpa, nam si remittitur culpa, illa non manet amplius moraliter, & si manet adhuc reatus pœnæ, culpa manet adhuc moraliter, ergo remittitur & non remittitur culpa. Imò sequitur quod integra non fuit redemptio Christi pro nostris peccatis, quia præter eam exiguntur etiam nostræ satisfactiones.

Secundò, non videtur fieri vnquam posse ut Deus pro alienis peccatis aliquem puniat, quia Deus neminem punit nisi dignus sit pœnâ, sed nemo dignus est pœnâ pro peccatis quæ alius commisit, alioqui si pœnâ temporali iuste aliquem punit pro alienis peccatis posset etiam iuste punire pœnâ æternâ, quod nemo dixerit ergo Deus neminem afficit pœnâ pro delictis alienis. Et videtur expresse in Scripturis haberi Ezechiel, v. gr. 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Imò certum est nunquam licere iudici punire aliquem innocentem pro parentum peccatis.

Dico primò, reatum pœnæ temporalis debitæ peccato tum in hac tum in altera vita, non semper integrum remitti, remisso integro reatu culpæ. Ita probatum est fusè in tractatu de pœnitentia, contra sectarios vsu negantes satisfactionum, Indulgentiarum, & Suffragiorum. Quos egregiè confutant Catholici omnes Doctores. Primò ex clarissimis Scripturarum testimoniis vbi Deus pro peccatis remissis seuerissimas tamen irrogat pœnas. Davidis euertitur familia propter peccatum quod Natham dimissum esse renuntiauerat: Manassès post conuersionem punitur. Aliæque occurrunt passim in Scripturis, si ergo punit Deus illos quorum remisit peccata, sequitur adhuc illos esse dignos pœnâ. Secundò Patres vnanimiter idem asserunt eo loco citati, aliosque dabunt Valentia hic quæst. 17. part. 5. Vega lib. 15. in Tridentinum cap. 36. Suares tom. 4. in 3. part. disput. 10. sect. 3. Tertio, sic habetur definitum in Tridentin. sess. 6. cap. 14. & Can. 30. & sess. 14. cap. 8. Can. 12. sess. 25. in decreto de Purgatorio. Denique ratio est quia reatus culpæ aliquid est distinctum à reatu pœnæ, ut patebit ex dicendis de peccato habituali, cum enim Deus ex peccato commissio duplex ius accipiat, Primum ut odio habeat ipsum peccatorem ut suum inimicum. Secundum ut illum puniat, quandiu Deus non condonat ius illud quod habebat ad puniendum peccatorem, manet dignitas pœnæ quantuncunque condonatum fuerit ius quod habebat ad odium, tolli ergo potest reatus culpæ manente reatu pœnæ, decuitque ut Deus ita faceret, ne peccata manerent impunita, vnde maxima peccandi esset libertas.

Dico secundò, potest Deus, & sæpè solet punire temporali aliquâ pœnâ, peccata parentum in filiis peccata Regum in subditis, & peccata partis alicuius communitatis, in tota communitate vel in altera eius parte. Ita S. Thomas art. 7. & variis tum exemplis tum rationibus probant Vasques disput. 135. Salas disput. 15. sect. 14. Valentia q. 17. p. 2.

Primò enim Genesios cap. 9. peccatum Cham in Chanaan filio eius punitur: Numerorum cap. 17. familia Dathan & Abiron tota interimitur: Iosue cap. 7. propter

Statu
quæstio-
nis.

Prima ra-
tio dubi-
tandi.

Secunda.

Conclusio
prima.

Ratio pri-
ma ex
Scripturis.

Secunda
ex Concl.
liis.

Tertia ex
iure quod
Deus acci-
pit ex rea-
tu culpæ.

Conclusio
secunda.

Ratio pri-
ma ex scri-
pturis.

propter furtum Achan totus exercitus cæditur. Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*: Aegyptij ob peccatū Pharaonis flagellantur & merguntur in mari rubro. Deinde ratio est quia cum Deus vitæ omnium, & bonorum vniuersalissimus sit Dominus, potest peccatibus parētibus aut Principibus vitam aut bona filiis & subditis adimere sine iniuria, vt sic puniantur parentes & Reges quorū pars aliqua sunt filij & subditi: tunc enim respectu parentum & principum illa est verē pœna, respectu eorum qui plectuntur illa est medicina. Propria igitur pœna nemo afficitur pro alterius peccato, quia respectu eius qui malum hoc patitur, illud non potest habere rationem pœnæ, quam nemo patitur nisi pro peccato suo.

Ad primam Respon. reatum pœnæ prorsus distinctum esse à reatu culpæ vt ostensum est, atque adeo negatur peccatum remitti, & non remitti si maneat reatus pœnæ, sublato reatu culpæ. Redemptio Christi plenissima est etiam si exigat nostras satisfactiones, quas dignificat, alioqui essent insufficientes ad tollendum reatum pœnæ.

Ad secundam Respon. patet ex dictis malum illud, quod pro alieno toleratur peccato, pœnam non esse respectu illius qui tolerat, sed respectu illius qui commisit peccatum. Pœna æterna vel etiam spirituali pro alieno peccato nemo punitur, quia illa non possunt esse medicina: de illis autem solis debet intelligi Scripturas rectè ostendit Vasques. Fateor nullum vnquam innocentem affici posse morte ob alienum peccatum, à Iudice creato, qui non est Dominus vitæ alienæ, sed mulctari tamen sapē potest bonis & honore, vt fieri etiam iuste solet in iis qui rei sunt Maiestatis.

SECTIO II

De reatu pœnæ debite peccato mortali.

S. Thom. art. 2. 3. 4.

Certum est primò, pœnas quæ semper, & infallibiliter sequuntur peccatum etiam in hac vita, sex numerari. Prima est priuatio iustitiæ habitualis sanctificantis animam, Charitatis, aliarumque virtutum omnium supernaturalium, præter habitum Fidei, Spei, eodem enim illo momento quo aliquis peccat subtrahit Deus totum concursum quo conseruabat omnia illa dona quibus homo iustus erat & conformis diuinæ legi, quia hoc ipso quo peccat redditur illis indignus, & meretur illis priuari, sicque subitò tota illa vita supernaturalis extinguitur, marcescit totus decor & vigor diuinæ imaginis, diuinæ amicitiae consortique cum Deo ac participationis naturæ diuinæ. Secunda est priuatio personæ ac donorum omnium Spiritus Sancti habitantis in anima, & adoptantis in Filium, desinit enim peccator esse Filius Dei & incipit esse filius Diaboli, *Omnis qui facit peccatum ex Diabolo est*, vt dicitur primæ Ioannis 3. Tunc autem loco Sancti Spiritus inhabitare incipit in anima spiritus nequam vt eam regat, & impellat ad malum. Tertia est priuatio integra iuris ad cœlestem hereditatem, quod ius diuinæ filiationi est infallibiliter annexum. Quarta est priuatio meritum omnium acquiritorum per totam vitam. Quinta est priuatio singularis protectionis diuinæ, ac specialis curæ quam habet Deus erga filios & amicos suos. Sexta pœna est reatus æternæ damnationis omniumque malorum quæ illi annexa sunt. Et hæc omnia mala causantur ab vnico tantum mortali peccato, *Quoniam ecce inimici tui Domine ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes qui operan-*

tur iniquitatem, nullum enim est peccatum mortale vel minimum, quod stare possit cum gratia, Spiritu Sancto, iure ad gloriam, & meritis nullum propter quod homo in æternum à Deo non sit proiciendus. Addi præterea poterat quomodo sapissimè peccatum sit pœna præcedentis alicuius peccati quod satis declaratum videtur præcedenti disputatione.

Certum est secundò, pœnas quæ infallibiliter sequuntur peccatum mortale in altera vita præcipuas esse sex quæ commodè reuocantur ad pœnam damni & ad pœnam sensus, vt patet ex dictis de pœna malorum Angelorum. Prima est amissio cœlestis hereditatis, & bonorum omnium externorum quæ in ea possidentur, loci amœnissimi, contubernij iucundissimi, plenissimæ delectationis ex cognitione rerum naturalium. Secunda est amissio gloriæ corporis, claritatis nimirum, impassibilitatis, subtilitatis, agilitatis, pulchritudinis accedentis ad diuinam, voluptatis suauissimæ in omnibus sensibus. Tertia est amissio luminis gloriæ, beatæ visionis, ac possessionis infiniti boni, quod Deus est, atque inde bonorum omnium animi, quorum plenitudinem possident beati. Quarta est afflictio ex obiectis externis horrendo loco, societate perpetua demonum & damnatorum. Quinta est afflictio ex malis corporis quæ prouenit ex cruciatu omnium sensuum tum interiorum tum exteriorum. Sexta est afflictio ex malis animæ, cæcitas, obstinatio, dolor immensus, odium Dei, furor, & desperatio. Quomodo autem inæqualis esse possit ipsa pœna damni, exposui eo loco.

Difficultas igitur tota nunc est primò, quanta sit pœna illa secundum intensiorem. Secundò, quanta sit secundum durationem.

§. I.

Virum peccatum mortale mereatur pœnam infinitam intensiorem.

Pendet fere tota hæc controuersia ex altera illa difficultate de qua dictum est, dum agerem de satisfactione Christi, quærebam enim ibi, virum malitia peccati sit infinita simpliciter, vbi partem negatiuiam certiorē esse ac veriorem constituēbam. Hoc autem posito.

Ratio dubitandi est primò, quia illud meretur pœnam infinitè intensam, quod plus meretur pœnæ, quàm infiniti actus boni mereantur gloriæ, nam illi mererentur sine dubio gloriam infinitè intensam, sed peccatum plus meretur pœnæ quàm infiniti actus boni mererentur gloriæ, quod probatur, vbi plus est malitiæ quàm in aliis sit bonitatis, ibi meritum pœnæ maius est, quàm meritum gloriæ, sed in peccato plus est malitiæ, quàm in quolibet actu bono sit bonitatis; debeo enim eligere potius priuationem cuiuslibet mali quàm minimum peccatum; hæc enim certissima est Anselmi doctrina lib. 1. *quod Deus homo*, vbi probat quod *peccatum maximum est omnium malorum*, Vnde nec pro vitandis quibuscunque malis, nec pro acquirendis quibuscunque bonis, potest committi, ergo peccatum meretur pœnam infinitam. Confirmatur quia infiniti actus boni non possunt satisfacere pro Dei offensa, ergo plus habet malitiæ vnus actus malus, & plus Deo displicet, quàm infiniti actus boni habeant bonitatis & Deo placeant.

Secundò, peccatum mortale meretur pœnam damni simpliciter infinitam, etiam in hac vita, si enim haberet infinitam gratiam, & infinitum ius ad gloriam, statim commissio peccato illis omnibus priuari deberet, ergo meretur etiam simul infinitam pœnam sensus.

Non

In altera vita sex itē pœnæ numerantur.

Secundus quaestio- nis.

Ratio prima dubitandi.

Secunda.

Ratio secunda ex summo Dei Dominio.

Respondetur ad primam rationem dubitandi.

Ad secundam.

Sex peccatorum pœnæ numerantur in hac vita.

Non est enim maior ratio de vna pœna quàm de alia. Imò annihilatio maius est malum quàm infinitus dolor, sed peccator meretur annihilationem, ergo meretur etiam infinitum dolorem.

Tertiò, nulla est ratio cur peccatum debeat mereri pœnam infinitam in duratione, non debeat autem mereri pœnam infinitam in intensione, nam moraliter loquendo secundum æstimationem omnium prudentum, pœna vt quatuor durans infinito tempore, maius malum est, quàm pœna infinitè intensà durans vno tantum quadrante, quis enim nom magis eligat istam, quàm illam. Imò si pœna æterna infligeretur simul, esset infinitè intensà, ergo peccatum quod meretur pœnam æternam, meretur pœnam infinitè intensam.

Conclusio prima.

Dico primò, peccatum mortale non meretur pœnam infinitè intensam, ita docet S. Thomas art. 4. repugnant Almainus, Guillelmus Parisiensis, & alii pauci citati à Vasque *ad hunc articulum*.

Probat.

Ratio tota est, quia malitia peccati non est infinita simpliciter, sed extrinsecè duntaxat & secundum quid, vt probaui olim: cum enim cognitio quam habemus de Deo non sit nisi finita, peccatum etiam esse non potest nisi finitæ malitiæ, quia cognitio est applicatio ipsius obiecti, si ergo cognitio finita est, infinitas obiecti non refunditur, neque applicatur actui voluntatis nisi finitè: nemo enim plus amat, vel plus odit quàm cognoscat vnde secundum cognitionem offensa Dei crescit, si nulla fuerit cognitio malitiæ, nulla erit offensa, si parua fuerit, erit etiam modica, ergo si finita fuerit cognitio, finita erit offensa. Neque valet (vt sæpè demonstraui) argumentum calculatorium, quâ proportionem crescit dignitas personæ offensa, crescit etiam malitia offensa, verum enim est quod extrinsecè ac geometricè crescit malitia offensa quâ proportionem crescit dignitas personæ offensa, falsum est quod crescat intrinsecè, ac arithmeticè, id est crescit offensa in ratione ordinis, & est in diuersa specie, sed non crescit determinatâ quantitate, & in numero graduum.

Proponitur grauis difficultas.

Dices nulla ratio probare potest actum Christi esse infiniti valoris intrinsecè ac arithmeticè, quæ non probet peccati malitiam esse infinitæ grauitatis etiam arithmeticè sicut enim persona offensa est extrinseca peccato, sic persona Verbi extrinseca est operibus Christi, & sicut cognitio media est inter Deum, & actum voluntatis, sic vnio hypostatica finita, media est inter personam Verbi, & operationem humanitatis. Denique illud est infinitum quod non potest adæquari nisi per aliquid infinitum, peccatum adæquari non potest, nisi per satisfactionem infinitam Christi, nulla enim creaturæ satisfactio illi esse potest adæquata, ergo peccatum est infinitum.

Satis fit difficultati.

Respondendam olim disparitatem esse inter opus satisfactorium personæ infinitæ, & offensam personæ infinitæ, quia dignitas personæ satisfaciens tota communicatur operi meritorio & satisfactorio; cum enim ille sit actus immanens intrinsecus est tali personæ, quam formaliter immediatè ac intrinsecè afficit & denominat, ac proinde tota dignitas personæ afficit quodammodo tale opus per modum formæ moralis: dignitas autem personæ semper est extrinseca peccato, neque illud afficit nisi mediâ cognitione, ideoque non se illi communicat nisi secundum proportionem cognitionis. Illud est infinitum, quod non potest adæquari nisi per aliquid infinitum quod sit in eodem genere, & ordine, concedo, quod sit in diuerso genere & ordine nego. Satisfactio creaturæ cuiuslibet, est semper inferioris ordinis, quàm sit offensa commissâ in Deum, ideo etiam si fuerit infinita nunquam illam adæquabit in ratione satisfac-

tionis, quamuis in ratione pœnæ illam adæquet, sed hæc alibi fusi.

Dico secundo, peccata semper à Deo puniuntur citra condignum, id est minori pœna quàm de facto mereantur. Ita vulgò censent Theologi omnes cum S. Thoma.

Conclusio secunda.

Probari autem non potest nisi ex scripturis, Habacuc tertio. *Cum iratus fueris misericordie recordaberis: Psalmi 86. Aut continebit in ira sua misericordias suas: Iob 11. & intelligeres quod multo minora exigeris ab eo, quàm meretur iniquitas tua.* Neque obstat quod dicitur Deuteronomini. 25. *Iuxta mensuram delicti erit plagarum modus: Apocalyp. 18. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit tantum date illi tormenti. Isaia 34. Extendetur super eam mensura vt redigatur ad nihil, & perpendicularum in desolationem.* In his enim omnibus significatur tantum, quod pœna proportionata sit culpæ, non significatur quod sit omnino equalis.

Probat ex folijs scripturis.

Ad primam, Resp. eodem argumento probari posse quod peccatum etiam veniale mereatur pœnam infinitam, quia propter acquirenda infinita bona committi non debet vnum peccatum veniale, vnde dici posset quod peccatum veniale plus Deo displicet, quàm ei placeant infinita opera bona: imò sequeretur Christi satisfactiones minoris esse valoris, quàm minimum peccatum, si enim mihi optio daretur vt peccarem venialiter, vel non essent omnia merita Christi, tenerer non peccare venialiter. Quamuis igitur peccatum tum mortale tum veniale nullo modo committi aut eligi possit pro vlla re mundi etiam infinitè bona, non sequitur tamen quod peccatum sit maius malum quàm opera infinitè bona, sint bona & placeant Deo: hoc enim apertè falsum est: sequitur enim ex eo tantum quod peccatum non sit eligibile propter vllum bonum, sed non sequitur quod sit maius vllum.

Respondetur ad primam rationem dubitandi.

Ad argumentum igitur respondeo negando illam minorem peccatum plus meretur pœnæ quàm infiniti actus boni mereantur præmij & gloriæ. Ad probationem nego esse plus malitiæ in peccato quàm sit bonitatis in quolibet actu bono, nego magis Deo displicere peccatum, quàm placeat actus infinitè bonus; id enim non bene probatur ex eo quod Deus magis eligeret vt non sit peccatum, quàm vt sit actus infinitè bonus, fateor enim, quod hoc magis eligeret, non ex eo quod peccatum sit maius malum, sed quia illud nullo modo est eligibile.

Ad confirmationem concedo infinitos actus creaturæ non posse satisfacere pro peccato, sed hinc sequitur tantum quod illi actus in ratione satisfactionis minus habent bonitatis, non autem in ratione meriti, aut bonitatis simpliciter.

Ad secundam Resp. peccatum mortale mereri pœnam damni finitam per se loquendo, infinitam autem tantum per accidens; peccatum enim opponitur gratiæ ac meritis vt sic: per accidens autem opponitur illis vt sunt infinita, sicut vnus gradus odij, opponitur amoris etiam infinito, neque tamen odium illud infinitum est, quia per se opponitur amoris vt amor est, per accidens autem illi opponitur vt est infinitus. Imò addebam aliàs pœnam damni, quamuis sit priuatio infiniti boni, non esse tamen malum infinitum, quia priuatio boni non est tantum malum, quantum est bonum ipsum quo priuat: Si enim Petro dicat dabo tibi vnionem hypostaticam, si abstineas à peccato veniali, ille non esset infinitè miser si peccatum committat veniale: Denique nego quod annihilatio sit maior pœna quàm infinitus dolor; annihilatio enim cum sit priuatio esse finiti, non est malum nisi finitum.

Ad secundam.

Ad

Ad tertiam vt respondeatur, venio ad id quod propositum erat secundo loco.

S. I I.

Verum peccatum mortale mereatur pœnam æternam.

S. Thom. art. 3.

Questio-
nis expli-
cat.
Status
Ratio
prima du-
bitandi.
Secunda.
Tertia.
Conclusio
secunda
Probatur
primò au-
thoritate
scriptura-
rum.

Robabam hoc olim agens de pœna dæmonum, ex variis Scripturis, ex Conciliorum decretis, ex omnium Patrum suffragiis, sed rationem quæ id probaret efficaciter huc distuli, tanquam maximè huius loci propriam: est enim sanè difficile dicere quomodo peccatum simpliciter finitum, & finitâ pœnâ dignum, condignè tamen puniatur pœnâ æternâ, quæ simpliciter videtur esse infinita.

Ratio enim dubitandi est primò, quia plerique Patres negare videntur quod supplicia damnatorum æterna sint, nam vt omitam Origenem à quo constat manasse sententiam de perpetuo circulo salutis, & damnationis, vt testatur quinta Synodus, certè videntur in eadem esse sententia plerique alij, Gregorius, enim Nyssenus, nulla explicatione potest excusari lib. de Anima, & orat. Catechetica de incarnatione Christi. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, & in calce commentariorum in Isaïam, negat Christianorum pœnas in inferno æternas fore: Idem censet Ambrosius in Psalm. 118. octon. 20. vbi dicit: *Æterna fore tormenta dæmonum, non hominum.* Et ipse Nazianzenus non obscure indicat orat. 39. *Supplicia hominum non æterna fore sed Purgatoria.*

Secundò, notissima est historia de Traiani anima precibus Sancti Gregorij Magni ab inferis liberata, nam licet eam non pauci reproberent, refert tamen illam neque reprobat Damascenus orat. pro mortuis, vbi testes illius appellat orientem totum & occidentem: Imò approbant etiam illam Ioannes Diaconus, in vita sancti Gregorij lib. 2. cap. 44. Nauarrus in cap. Quando notabili 22. Durandus in 4. distict. 45. quest. 2. Richardus art. 2. quest. 1. Nicolaus de Orbellis quest. 1. Carthusianus, quest. 2. & 3. Gabriel, lect. 53. in Canonem. Viguerius, cap. 16. Henriques, lib. 9. cap. 16. Azor, lib. 9. cap. 31. Salas, disput. 1. sect. 4. qui & alios plures citant.

Tertiò, quæcunque ratio probat peccatum mortale mereri pœnam æternam, probat etiam quod peccatum veniale illam mereatur? Imò vt supra notabam, probat peccatum mortale mereri infinitam intensiue. Et demum omnino sequitur infinitam esse malitiam peccati, si enim causat pœnam infinitam in æstimatione morali peccatum est infinitum in æstimatione & causalitate morali, sed pœna æterna licet physicè non sit infinita simpliciter, tamen in æstimatione & causalitate morali simpliciter infinita est, nam in æstimatione omnium prudentum grauior & intolerabilior est quàm pœna infinita intensiue.

Dico secundò, nullum est mortale quod condignè post hanc vitam non mereatur puniri æterna pœna. Hæc est Ecclesiæ Catholicæ fides indubitata.

Primò enim æternitatem suppliciorum expressè tradidit ipse Christus Marci 3. *Qui autem blasphemauerit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti;* Apocalypseos 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Psalm. 91. *Nimis profunde factæ sunt cogitationes tuæ, vir insipiens non cognosceret, & stultus non intelliget hæc, cum exortii fuerint peccatores sicut fenem, & apparuerunt omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi, tu autem altissimus in æternum Domine.*

Tom. I.

Isaia 34. *Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius à generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam.* Daniele, cap. 12. Iudith, cap. 16. Matthæum, cap. 25. Apostolum, secunda Thessal. 1. attuli citato loco.

Secundò, præter allatos ibi etiam Patres alij quod proferri possunt, verbi gratiâ, Irenæus lib. 4. c. 47. *Quibuscunque dixerit Dominus discedite à me maledicti, &c. Illi erunt in æternum damnati.* Clemens Romanus apud Damascenum in Eclogis: *Immortales omnes anime sunt etiam impiorum, quibus melius foret incorruptibilibus non esse, nam pœna sempiterna ab igne inextinguibili puniuntur, &c.* Nazianzenus orat. 15. *In illis suppliciis pœna tempus esse non purgationis, Additque demum restare damnatis Tormenta, & quod maius est abiici à Deo, & conscientia pudorem qui nullo sine claudatur: Idem apertè traditur à Gregorio Nysseno orat. de his qui differunt baptismum, Hieronym. in cap. 25. Matthæi, in cap. 3. Ionæ, in cap. 14. Isaia, ab Ambrosio, lib. 2. de Fide cap. 4. lib. de bono mortis cap. 2. Nemesio lib. de Homine cap. 1. Eleganter Pacianus in Parænesi, *Post animarum tempestiua supplicia, redimitis quoque perpetua corporibus pœna seruatur.* Valerianus homil. 1. *quos ista temporalis non affligit pœna, hos illa in æternum insatiabili tormentorum dolore prosequitur.* Eandem tormentorum æternitatem discretè asserit Plato in Timæo, Trifmegistus cap. 10. Asclepij, Timæus Locutus lib. de natura alique apud Eubeginum lib. 10. cap. 8.*

Tertiò, tamen ratio quæ id efficaciter probet difficile asseritur, versantur in eo argumento copiosissimè Sanctus Thomas lib. 3. contra gentes cap. 143. & c. 144. Opusculo 2. cap. 183. Durandus, quest. 7. Antoninus 1. part. titulo 5. cap. 3. Antonius Peres Certamine 9. cap. 10. Picus in Apologia quest. 2. Guillelmus Parisiensis lib. 2. de legibus cap. 21.

Prima ergo ratio illa est quam optimam esse iudicant Alexander Halensis, Egidius Conink, & Hurtadus, quia peccatum mortale cum sit grauis offensæ personæ infinitæ, est etiam infinitum vel simpliciter, vel secundum quid, ergo est ex se dignum pœnâ infinitâ saltem secundum quid, cuiusmodi esse non potest pœna nisi æterna, infinita syncategorematicè. Deinde peccatum mortale cum sit in gradu diuino & superioris ordinis quàm sit omnis pœna, non potest adæquari per vllam pœnam, ergo cum illa non adæquet offensam, semper debet durare. Denique pœna debita peccato commissio contra personam infinitam est maior omni pœna quam tolerare potest persona creata, ergo illa pœna esse debet æterna: sicut cum aliquis summam ingentem pecuniæ soluere non potest, tenetur saltem pensionem perpetuam pro illa soluere.

Hæc ratio in multis redargui potest, probat enim peccatum veniale mereri similiter pœnam æternam, quia est offensæ infinitæ personæ, atque adeo est infinitum secundum quid: quod autem peccatum mortale offensæ sit grauis personæ infinitæ, non est propterea magis infinitum quàm peccatum veniale, alioqui ostendendum esset quomodo ratione illius grauitatis mereretur pœnam infinitam non ratione infinitatis: similiter etiam si peccatum mortale mereretur pœnam æternam, quia est superioris ordinis in ratione mali quàm omnis pœna, certè peccatum veniale pœnam mereretur æternam, quia etiam est superioris ordinis quàm omnis pœna: non est ergo necesse vt pœna æqualis peccato, sit tantum malum quantum est culpa, sed sufficit quod sit tantum malum in ratione pœnæ, quantum malum est peccatum in ratione culpæ; alioqui ne merita quidem Christi adæ-

Iii

quarent

Secundo
authorita-
te Patrum.

Tertio ra-
tionibus.

Ratio pri-
ma, quæ est
aliquotum
authorum.

Quomodo
posset re-
ponderi
superiori
rationi.

quarent culpam, quia nullum est meritum Christi propter quod eligi debeat vllum peccatum etiam veniale: eademque solutio est ad id quod addebatur, quod pœna debita peccato commissio contra personam infinitam est maior omni pœna quam tolerare potest persona creata: hoc enim probat peccatum veniale dignum esse perpetua pœna, & negari posset ab eo qui negaret peccatum mortale mereri pœnam æternam ut constabit statim.

Secunda ratio quæ est etiam aliorum auctorum.

Secunda enim ratio est quæ vtuntur Durand. Lessi. & plures alij graues Theologi, quia peccatum mortale aded graue malum est, ut nullis creaturæ operibus compensari possit. Quod autem aded malum est, ut nullis bonis quantumvis longo tempore continuatis compensari, & exequari possit, meretur pœnam, quouis tempore finito longiorem, quemadmodum qui coëmit domum cuius principale pretium non potest dissoluere, tenetur perpetua pensionem creditori satisfacere.

Quomodo posset huic rationi responderi.

Hæc etiam ratio non videtur satisfacere, quia probatum aliis est quod pro peccato veniali nulla creatura potest adæquatam exhibere satisfactionem, ergo simili argumento probaretur illud mereri pœnam æternam. Deinde vt argumentatur ipsemet Lessius num. 165. quamuis iuste crimen puniatur, donec satisfactionem reus exhibeat, quando ille vult & potest eam exhibere, nulla tamen ratio postulat ut semper puniatur, quando nullo modo potest eam exhibere: quis enim dicat eum qui furatus est nummum, quem amplius non habet tandiu debere flagellari quandiu illum non restituit? Denique valde incertum est apud aliquos Doctores, vtrum contritio sit condigna satisfactio pro peccatis.

Tertia ratio est Delugo.

Tertia ratio multis locis insinuat a Delugo, quia Deus non potuit aliter homines a peccato reuocare nisi determinando ut peccatum mortale puniatur æterna pœna.

Sed huic potest etiam satisfieri.

Hæc etiam responsio insufficiens est, quia vel ante illam Dei determinationem peccatum habet illam condignitatem cum pœna æterna, vel illam non habet, si habet condignitatem ante Dei decretum, ergo debet reddi ratio quomodo peccatum aded breue, mereatur condignam pœnam aded diuturnam. Si non habet nisi post decretum, ergo Deus punit vltra condignum, quod absurdum est.

Hic itaque reiectis sola videtur efficax ratio Sancti Thomæ art. 3. quam etiam approbant Scotus, Belarminus, Vasques, sic autem proponi potest, tandiu puniri debet peccator quandiu perseuerat in eo peccatum, non solum quoad reatum culpæ, sed etiam quoad totum reatum pœnæ, quandiu enim est in homine reatus pœnæ, tandiu debet puniri, cum reatus pœnæ non sit aliud quam obligatio subeundi pœnam, seu dignitas pœnæ, sed peccatum mortale tale est ex sua natura ut exigat æterno tempore durare quoad vtrumque reatum tunc culpæ, tunc pœnæ, ergo peccatum mortale ex sua natura meretur puniri pœna æterna. Probatur minor quæ sola videtur egere probatione illud peccatum ex sua natura exigit æterno tempore durare quoad reatum culpæ ac pœnæ, quod ex sua natura constituit hominem in statu in quo neque potest mereri neque satisfacere, homo enim qui est reus, non liberatur a reatu quandiu neque meretur neque satisfacit, quia manet in eo statu in quo erat prius, si ergo non satisfacit, totum habet debitum quod habebat prius: sed peccatum mortale ex sua natura constituit hominem in statu in quo neque meretur neque satisfacit, destruit enim gratiam & charitatem sine quibus nulla esse potest satisfactio, hoc autem principium non destruitur a peccato veniali ideoque peccatum veniale sem-

per ab intinseco reparari potest.

Ratio ergo breuiter est, quia homo per peccatum est in statu in quo non potest satisfaciendo tollere vel reatum pœnæ, vel reatum culpæ, cum careat principio vitæ, sine quo nulla est satisfactio vel satisfactio: non dixi autem rationem cur peccatum mortale semper debet puniri, esse, quia semper ex sua natura exigit durare quoad culpam, sed quia semper exigit durare quoad reatum etiam pœnæ, quia tollit principium totius satisfactionis. Vnde soluitur quod a nonnullis opponi solet, potest Deus remittere totam culpam & retinere totum reatum æternæ pœnæ, tunc peccatum non durabit & tamen erit dignum æterna pœna, ergo ratio cur mereatur pœnam æternam, non est quia peccatum semper durat. Hoc enim distinguo; non est quia peccatum durat secundum reatum culpæ, concedo, non est quia durat secundum reatum pœnæ, nego.

Instabis primò, nulla aequitas exigit ut tandiu puniatur peccatum, quandiu manet si non sit in potestate mea ut non maneat, sed non est in potestate peccatoris damnati ut non duret æterno tempore reatus tunc culpæ, tunc pœnæ, ergo iustitia non exigit ut semper puniatur: Quis enim dicat eum qui hominem aliquo membro mutilauit, debere tandiu flagellari quandiu membrum illud non restituit.

Resp. æquitatem omnino exigere ut tandiu puniatur peccatum, quandiu manet reatus pœnæ, si peccatum habeat ex se ipso & ex sua natura ut exigat in æternum manere, secundum vtrumque reatum id est si constituat hominem in statu in quo non possit vlllo modo satisfacere. Nulla quidem ratio postulat ut tandiu puniatur quandiu non possum soluere, quando sine vlla voluntate mea factus sum impotens ad soluendum, & satisfaciendum, sed si voluntariè contraho debitum quod ex sua natura tollit mihi principium satisfaciendi, semper debeo puniri, quia semper maneo reus.

Instabis secundò quantitas pœnæ non respondet durationi habituali culpæ, sed eius grauitati, & liberet illius durationi, qui enim peccauit & diu mansit in peccato habituali, non propterea exigit torqueri diutius, quam is qui damnatur in flagranti delicto. Deinde opera bona non ideo digna sunt præmio quia semper durant, sed quia ex se talem habent valorem.

Respon. nihil etiam eo argumento probari contra durationem reatus pœnæ; fateor enim quantitatem pœnæ non esse maiorem quia peccatum habituale durauit diutius, quamuis verum sit quod quantitas pœnæ diutius durare debeat si diutius adhuc perseueret reatus tunc culpæ tunc pœnæ. Vnde argumentum hoc nihil probat contra rationem allatam de duratione reatus pœnæ. Opera bonarentur præmium æternum, quia meritum illud æterno tempore durat, vnde quoad hoc est omnimoda paritas.

Ad primam Respon. excusari nullo modo posse Origenem ab errore, quamuis eum excusare adhuc tentauerint multi tunc veteres tunc recentiores Theologi, præsertim Picus in Apologia quæstione 7. Iacobus Merlinus in Apologia, & recentior Aloës in eleganti tractatu ea de re. Gregorius Nyssenus, contendunt plerique in bonum sensum explicari posse quod difficile assequuntur. Ambrosius, Hieronymus, & Nazianzenus ab eo errore longissime ab sunt, ut constat ex aliis eorum scriptis vnde in locis citatis vel de solo loquuti sunt purgatorio vel per quandam exaggerationem loquuti sunt.

Ad

Solutio. Ad secundam Resp. historiam illam de Traiano & Felconilla iure merito reprobari à multis doctoribus probatissimis Bellarmino *lib. 2. de Purgatorio cap. 2.* Suarez, Vasquez, Soto, Cano, qui quam ea sit impossibilis recte probant.

Soluitur
tertia. Ad tertiam constat ex dictis rationem quæ probat peccatum mortale dignum esse pœna æterna, non posse convenire peccato veniali quod non destruit principium vitæ, neque tollit facultatem merendi & satisfaciendi. Sed neque probatur ea ratione quod peccatum mortale mereatur pœnam intensius infinitam, quia ex eo quod homo sit in statu in quô neque mereri, neque satisfacere potest sequitur quod semper debeat puniri, non sequitur quod pœna infinita debeat puniri, neque quod infinita sit malitia peccati, pœna enim æterna simpliciter est minor quàm pœna infinita intensius, secundum quid maior est; nunquam enim verum erit dicere quod damnatus toleraverit infinitos gradus pœnae.

SECTIO III.

De poena debita peccato veniali.

Triplex
pœna de-
bita pec-
cato veni-
ali, in hac vi-
ta.

Certum est primò, pœnam peccatis venialibus præsertim deliberatis & plenè voluntariis in hac vita debitam, & sæpius etiam à Deo irrogatam, triplicem potissimum esse: Prima sunt dolores, morbi, & mors etiam temporalis, aduersusque plurius huius vitæ, quod innumeris exemplis Scripturarum declarari potest. Moyfi obitus antequam filios introduceret in terram ad quam tot annis, & per tot miracula eos deduxerat, propter peccatum diffidentia adeò leue vt vix appareat: vxor Loth propter leuissimum curiositatis peccatum conuersa in statum salis etiam si fugeret Sodomam & grauius illi peccata vitasset: Propheta ille qui deuoratus est à leone quia comedis- set panem in terra Israël, seductus ab altero Propheta: Moys immissa Ozæ pœna non fuit peccati nisi leuissimi, sicuti strages etiam Bethanitarum propter speciem curiosius arcam: Denique moys filiorum Aaron propter alienum ignem quem posuerant in Thuribulo, non fuit effectus peccati nisi venialis. Secunda pœna est priuatio multorum auxiliorum quibus adiutus homo; infallibiliter vitaret peccata mortalia, & attingeret salutem in d & perfectionem assequeretur salutis, quod satis probatum videtur disputatione prima, cum ostendi quod per peccatum veniale homo disponitur ad mortale præsertim ex eo quòd Deus in pœnam peccatorum venialium congrua denegat auxilia quibus vitaretur peccatum mortale, quo applicari potest illud Isaie cap. 57. *Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum & percussi eum, abscondi à facie meam, & indignatus sum, abiit viam in via cordis sui.* Tertia èque grauissima etiam pœna est imminutio feruoris, charitatis, & familiaritatis cum Deo, illa enim vera tepiditas est quâ non vinceretur homo in leuibus peccatis displicere Deo, vnde Deus incipit eum vomere ex ore suo.

Certum est secundò, pœnam peccatis venialibus
 in altera vita infallibiliter debitam esse ignem pur-
 gatorij, cum gravissimis aliis doloribus qui propter
 peccatum mortale infliguntur exceptâ æternitate.
 Hac enim Catholica veritas est quam contra Grae-
 cos, & novos sectarios probant Doctores Orthodoxi
 Valentia, *tom. 4. disput. 11. quest. 1.* Bellarminus
tom. 1. lib. 2. de Purgatorio, Valques 147. præsertim
 celeberrimo illo Apostoli testimonio primâ ad Co-
 rinthios 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponerè*
præter illud quod iam posuimus est, &c. Uniuscuiusque
opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit
quia in igne revelabitur: & unuscuiusque opus quale
 Tom. I.

fit ignis probabit, &c. Si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quæ Apostoli verba intelligenda esse de igne purgatorij traditur in Concilio Florentino, & Tridentino, asseritur à Patribus Græci & Latinis ut rectè ostendunt Bellarminus, Castro, verbo (purgatorium,) Theodorus Peltanus, Valentia. Quia nimirum Apostolus eo loco agens de iudicio tum vniuersali, tum particulari agit etiam de igne, qui mundum purgabit in iudicio extremo, & de igne qui statim post mortem purgabit eos, quibus exurenda & expurganda supererunt ligna, fenum & stipula. Unde dicit: *Vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit*: In iudicio videlicet extremo, & in iudicio particulari, quia in igne reuelabitur & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, operibus videlicet bonis parceret, mala opera exuret. Concluditurque, *Si cuius opus arserit detrimentum patietur ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Accedit perpetua Ecclesiæ traditio, & consensus Patrum, etque defensum à Latinis in Concilio Florentino, à quo tamen definitum non est esse ignem in purgatorio nec Græci ostenderentur dicentes purgatorium esse locum obscurum, & laborum plenum, sed ignem in eo non agnoscetes.

His positis tota difficultas est de duratione poenarum quas meretur peccatum veniale in altera vita, vtrum illud vel per se, vel saltem per accidens mereatur poenam æternam.

Ratio autem dabitur est primò, quia peccatum veniale maius est malum omni malo pænæ, ergo illud meretur pœnam omni pœna finita longiorem. Imò saltem in statu puræ naturæ illud mereretur pœnam æternam, quia ille qui venialiter peccat non habet gratiam, atque ira non posset satisfacere. Deinde minimū opus bonum meretur præmium æternum, ergo minimum peccatum meretur æternam pœnam. Denique maius malum est priuari ad tempus visione Dei, quam semper puniri minimo malo sensus, peccatum veniale meretur ad tempus priuari visione Dei, ergo meretur semper puniri pœna sensus.

Secundò, si peccatum veniale puniretur pœna æterna propter coniunctionem cum peccato mortali, fieri posset vt aliquis damnatus grauius puniretur in æternum propter peccata venialia, quàm propter peccata mortalia; si enim habet centum peccata venialia, & vnum peccatum mortale, intensior erit pœna respondens peccatis venialibus quàm pœna respondens peccatis mortalibus, consequens illud absurdum est, quia cum infinita peccata venialia non adæquent peccatum vnum mortale in culpa, ita nec adæquare possunt illud in pœna.

Tertio, debitum pœnæ peccato veniali debita non crescit per coniunctionem cum peccato mortali: sed peccato veniali secundum se commensurata est pœna temporalis, ergo peccato veniali quod coniunctum est cum mortali commensurata est pœna temporalis: si ergo Deus illud in æternum puniret, ultra condignum illud puniret.

Dico primum, peccata venialia quantuncunque multiplicentur, nunquam tamen per se, id est si sola fuerint, merentur æternam pœnam. Hæc etiam certa est Catholica veritas, quam negarunt Gerson & alij pauci.

Ratio est, quia peccatum veniale non destruit principium vite ac proinde non constituit hominem in statu in quo non possit satisfacere, sed tota ratio propter quam peccatum mortale meretur eternam penam est quia tollit gratiam, sine qua nulla esse potest satisfactio, vel etiam satisfactio, ergo peccatum veniale.

Explicatur
sententia
Catholica
de Purga-
torio.

Statu
quaestio-
nis.

Prima ra-
tio dubi-
tandi.

2. Segunda.

Tertia.

ie Conclusio
o- prima.

Ratio il-
lius.

le per se loquendo mereri non potest pœnam æternam. Quamuis enim pro eo nulla creatura possit satisfacere, nihilominus ille qui amicus est Dei exigit ut Christus tanquam causa vniuersalis suppleat id quod per se ipsum facere non potest; quamuis igitur nemo directe satisfacere possit condignè pro peccato vel mortali, vel veniali, peccatum tamen veniale non tollit ius ad auxilia & merita Christi, per quæ peccatum veniale deletur, peccatum autem mortale totum illud ius auferit, ideoque peccatum veniale non semper durat ex sua natura quoad reatum culpæ vel pœnæ, sicut ex sua natura peccatum mortale semper durat quoad vtrumque reatum.

Conclusio
secunda

Dico secundò, longè probabilius esse quod peccatum veniale per accidens seu coniunctum cum peccato mortali, puniatur in inferno pœna æterna. Siue remissum fuerit quoad culpam, siue non fuerit remissum. Ita censuit Caietanus, Victoria, Zumel, Suares, Valentia, Soto, Azor: contrarium absolutè defendunt Scotus & Scotista omnes, Almainus, Maior, Gabriel, Vega, Medina, Nauarrus, Arriaga. Alij verò cum S. Thoma & Durando volunt peccatum veniale remissum quoad culpam eodem modo puniri in inferno, quo puniretur in Purgatorio.

Ratio illius.

Ratio tamen ex dictis videtur perspicua, quia peccatum tandiu debet puniri quandiu durat reatus tùm culpæ tùm pœnæ, sed in damnatis reatus pœnæ contractus ex peccato veniali etiam remisso manet in æternum, quia illi propter defectum vitæ spiritalis neque satisfaciunt, neque satisfatiuntur, ergo in damnatis peccatum veniale debet in æternum puniri.

Soluitur
prima ratio dubi-
tandi.

Ad primam Resp. verum esse quod peccatum veniale maius est malum omni malo pœnæ, sed nego hinc sequi quod mereatur pœnam omni pœna longior, nunquam enim peccatum, ut dixi, meretur pœnam quæ sit tantum malum, quantum malum est ipsa culpa, sed meretur pœnā, quæ in ratione pœnæ tantum sit malum, quātum malum est culpa in ratione culpæ. Peccatum veniale in statu puræ naturæ non mereretur etiam pœnam æternam, quia etiam si homo tunc non haberet principium quo posset satisfacere tamen quia voluntariè non se priuasset principio illo gratiæ, propterea requireret ut Deus vel liberaliter, vel per medium aliquod statui puræ naturæ proportionatum remitteret illum reatum. Denique negata olim est paritas inter minimum opus bonum, & peccatum veniale, quia minimum opus bonum dignificatur per gratiam, & per eam meretur præmium æternum: peccatum autem veniale non accipit aliunde indignitatem.

Secunda.

Ad secundam Resp. posse fieri per accidens ut multa peccata venialia maiorem mereantur pœnam sensus, quàm pauca mortalia, etiam si culpa plurimum peccatorum venialium vnum mortale non adæquet.

Tertia.

Ad tertiam Resp. debitum pœnæ peccati venialis crescere per accidens propter coniunctionem cum mortali, quia durat semper reatus pœnæ peccati venialis quod est iunctum cum peccato mortali, ac proinde illud in æternum puniri debet.

QVÆSTIO II.

De altero effectu peccatorum qui est macula seu peccatum habituale.

S. Thom. quæst. 86.

Status
quæstio-
nis expli-
catur.

Post reatum pœnæ, alter peccati effectus est macula quæ vocatur habituale, sic enim dici communiter solet illud quod transacto peccati actu homi-

nem denominat peccatorem & exosum Deo. Magni autem interest scire quid illa sit, propter peccatum originale quod consistere in aliqua huiusmodi macula statim dicam, & propter iustificationem quæ consistit in remotione talis macule. Vnum autem hic video accuratori dignum examine, quid nimirum propriè sit illud peccatum habituale, ex quo exoritur in homine status & denominatio peccatoris tunc quando peccatum desinit esse actu; hoc enim cognito difficile non erit statuere de causis, proprietatibus, & effectibus huius peccati.

SECTIO VNICA.

Existencia & quidditas peccati habitualis.

Certū est primò, quod per peccatū quodlibet siue mortale, siue veniale aliqua semper macula relinquitur quā homo verè ac propriè denominatur peccator. Probat hoc primò innumeræ Scripturæ, v. gr. Io. sue 22. *Peccastis in Beelphegor & usque in hodiernam diem macula huius sceleris in vobis manet.* Ieremiæ 2. *Si laueris te niro, & multiplicaueris tibi herbam borith, tamen maculata es coram me.* Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Deinde idem colligitur ex formis Baptismi & Pœnitentiæ, verba enim illa (Ego te baptizo,) (Ego te absoluo) falsa essent, si post præteritum actum peccati, non maneret in peccatore aliquid quod remitti & deleri posset, cum enim dicitur, baptizo, absoluo, tollitur aliquid quod est actu, illud est quod vocatur macula & peccatum habituale. Ratio autè à priori colligi debet ex dicendis de natura & entitate illius maculæ. Si enim transacto actu, perseverat adhuc moraliter peccatum illud quod desinit esse physicè, certè datur peccatum habituale, sed quandiu peccatum commissum non est retractatum nec condonatum perseverat moraliter, ergo datur peccatum habituale.

Remanere
maculam
mortalis
transacto
actu pecca-
ti probatur
ex Scrip-
turis.

Ratio à
priori pro-
ponitur.

Certum est secundò, quod per peccatum mortale quodlibet causatur semper aliqua macula negativa quæ non est aliud quàm priuatio gratiæ sanctificantis. Ratio est quia omnis priuatio nitoris debiti potest dici macula, priuatio autem gratiæ priuatio est nitoris debiti homini eleuato ad statum supernaturalem: si enim esset homo in statu puræ nature, tunc quamuis illa carentia gratiæ, omnino eadem esset physicè ac nunc, moraliter tamen non esset eadem, ac proinde dici non posset macula, sicuti nunc verè macula est, & difformitas animæ constitutæ in tenebris, & priuata lumine diuino.

Hæc igitur macula & peccatum habituale relictum ex peccato tùm mortali tùm veniali, quid propriè sit, non satis conuenit inter Theologos, alij enim illud negant esse peccatum præteritum, alij affirmant, sed neutri eodem modo explicant.

S. I.

Verum peccatum habituale sit aliquid distinctum à peccato præterito.

Triplex
authorum
sententia
circa ma-
culam pec-
cati.
Tripliciter diuisi sunt authores qui volunt maculam peccati esse aliquid diuersum à peccato præterito. Primò enim aliqui cum Gregorio volunt illam esse habitum vitiosum relictum ex peccato præterito, vel etiam qualitatem aliquam morbidam. Secundo, Scotus, Durand. & Almain. putant illum esse reatum pœnæ seu obligationem subeundi pœnam relictam ex peccato. Tertiò, alij apud Salam disp. 14. sect. 3. volunt priuationem gratiæ peccatum esse habituale vel adæquatè, vel saltem inadæquatè: de duobus primis vix est difficultas, circa istud vltimum.

Ratio